

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ.

EVANGELIUM. LUCÆ XI.

In illo tempore, erat Jesus ejiciens dæmonium: et illud erat mutum. Et cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus; et admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Et alii tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo. Ipse autem, ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum divisum desolabitur; et domus supra domum cadet. Si autem et Satanus in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus, quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia? Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Porro si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet. Qui non est mecum, contra me est: et qui non colligit mecum, dispergit. Cum immundus spiritus exierit ab homine ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, et non inveniens, dicit: Revertar in domum meam unde exivi. Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam, et ornatam. Tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, et ingressi habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Factum est autem, cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

CONCIONES.

- I. Panoplia seu armatura diaboli.
- II. Quamobrem plures homines dæmoni potius serviunt quam Deo: terrena quam cœlestia sectentur.
- III. Cur Deus multoties dæmones grassari in homines permittat.
- IV. Remedia adversus maleficia et dæmonum infestationes.
- V. Dæmonis vigilantia, qua custodit servos suos peccatores.
- VI. Causæ quæ mutum faciunt confitentem.
- VII. Confessionis sacramentalis conditiones.

- VIII. Impedimenta conversionis quomodo superanda.
- IX. Documenta.
- X. Mysteria.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Raræ confessionis damna, frequentis commoda.
- II. Militantes sub Beelzebub quinam.
- III. Defectus aliquot jejunii.
- IV. Loca arida seu inaquosa, quæ perambulat dæmon.
- V. Ratio expellendi dæmonem per penitentiam.

CONCIO I.

PANOPLIA SEU ARMATURA DIABOLI.

- I. Armigeri diaboli: Oblivio, negligentia, concupiscentia. — II. Cassis ærea: Cogitationes malæ, et scrupuli. — III. Clypeus ejus: 1. Infidelitas. 2. Occultatio peccatorum. 3. Defensio peccatorum. 4. Præsumptio. — IV. Lorica hamata: 1. Consuetudo mala. 2. Obstinatio. 3. Desperatio. — V. Ocreæ æræ: Tristitia et acedia. — VI. Gladius, perversa lingua: 1. Mendax. 2. Blandiloqua. 3. Susurrans. — VII. Hasta: 1. Mali homines. 2. Objecta sensuum.

THEMA.

Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Luc. XI.

Astutus simul et armatus bellator fuit Goliath; astutus quidem primum, quod neminem sibi parem videns in castris Hebræorum, provocare eos studuit ad certamen singulare, unde tota victoria penderet, quasi haud dubie victurus. Deinde, dum suo fastu et rara corporis terrere et absterre a certamine eos voluit, ut confusi et pavidi discederent. Denique, dum obviantem sibi Davidem despexit et minis devorare quodammodo voluit: *Numquid ego canis sum*, inquit, *quod tu venis ad me cum baculo? Veni ad me et dabo carnes tuas volatilibus cœli et bestiis terræ*, I. Reg. XVII. Sed nec minus armatus fuit: etenim cassis ærea super caput ejus erat, et lorica hamata (alii, squamata) induebatur, ocreas æreas habebat in cruribus et clypeus æreus tegebat humeros ejus, hastam præterea maximi ponderis et gladium præstantissimum habebat, denique armiger ejus antecedeat eum. Verissima effigies ipsiusmet diaboli, qui an dolosus magis quam armatus sit, nemo facile definit; in utroque enim excellit: quod vel ex hodierno evangelio facile colligitur, ubi dolosum legimus, quando hominem possessum fecit cæcum et mutum; armatum et fortem, quando cum septem nequioribus spiritibus rediit in possessionem suam. Vidimus ante octiduum ejus dolos, nunc videamus ejus arma.

I. Armiger ejus antecedeat eum. Habet et diabolus non unum sed plures armigeros, qui ipsum antecedunt; sunt autem hi tres potissimum: oblivio, negligentia et concupiscentia, quos vocabat quidam senex in vitis patrum, lib. VI. libello XI. vers. XLVI. tres diaboli prodromos; *Etenim si oblivio venerit*, inquit, *generat negligentiam; de negligentia vero concupiscentia nascitur; de concupiscentia vero corrumpitur homo*. Præmittit ergo dæmon et procurat in hominibus oblivionem Dei, verbi divini, orationis, novissimorum, qui-

bus velut armis se defendere possent; deinde, per negligentiam securos eos facit, ut ne sibi invigilent, sed fræna appetitibus suis laxent: procurat ut verbum Dei et rem sacram negligant, sub concione dormiant, peccata commissa obliviscantur, conscientiam ante confessionem negligenter examinent, etc. ad extremum, affectus et pravus eorum inclinationes commovet et inflammat incitatque ad peccatum. Hæ sunt ancillæ dæmonis ostiaræ, quæ ostium ei aperiunt ad tentandum nos; hi sunt funis e navi dependens, quo apprehenso facile navim ad se trahit; unde dixit abbas Pimenius: *Dæmones nobiscum non pugnant, quia voluntates eorum facimus: sed nostræ nobis voluntates dæmones factæ sunt*. Exemplo est monachus quidam ad iracundiam pronus, in vita S. Euthymii, apud Surium, in januario; qui occasiones iracundiæ declinaturus e monasterio (quod erat S. Euthymii) secessit in eremum; verum dæmon vas, quod ille secum in solitudinem tulerat, aqua repletum dejecit totamque aquam effudit; repletum igitur denuo vas suo loco reponit monachus, sed dæmon rursus id invertit: tandem cum id sæpius fieret, ira percitus vas arreptum terræ allidit et comminuit: sero tandem animadvertens suam passionem causam esse hujus mali, ad monasterium rediit.

II. Cassidem æream gerebat in capite. Galea diaboli sunt pravæ cogitationes, quas in phantasia gignit, variarum rerum species ingerendo, humores alterando, etc. iisque caput hominis gravat, et obnubit, obtunditque aciem mentis, ut apparentia bona pro veris reputentur, vera pro falsis. Ponit enim in capite et phantasia hominis variarum rerum, etiam longe dissitarum imagines imprimitque tam fortiter, ut pulchriores et dulciores appareant, quam revera sint, et sæpe magis moveant apprehensæ per imagines, quam reipsa possessæ, aut coram existentibus: quemadmodum et equi, horti, domus et urbes pictæ ordinarie pulchriores sunt quam veræ. Res enim quantumvis pulchræ et suaves, semper admixtam habent aliquam fœditatem vel amaritudinem: sed imagines artificio diaboli imaginationi oblatae nihil fœdum, nihil insuave, sed meram pulchritudinem ac dulcedinem præ se ferunt. Ut ergo Zeuxes fertur uvas ad vivum ita pinxisse, ut aves advolarent eas direpturæ: puerum vero eas ferentem imperfecte: (siquidem eum aves timere debuerant) ut refert Plinius, lib. XXXV. cap. X. ita etiam dæmon depingit hominibus rerum imagines tam artificiose, ut solidæ videantur, cum sint vanissimæ: earum vero vanitatem, fœditatem et amaritatem, quæ

deberet abstergere, ruditer delineat vel omnino tegit. Hujusmodi molestissimam galeam imposuit plerisque fortissimis viris, quos aliis modis vincere non poterat, uti SS. Antonie, Hilarioni, Hieronymo, Benedicto, Francisco: qui tamen eam haudquam diu in capite suo tolerarunt, sed abjecerunt protinus: *Ille cogitationes sordidas*, ait S. Athanasius, in vita S. Antonii, *conabatur inserere, et hic (Antonius) eas oratu submovebat assiduo, etc.* Ergo sicut Moyses adhuc puer coronam regiam quoties ei illa a Pharaone imponebatur, manu dejiciebat, ut scribit Josephus, l. II. antiq. cap. V. et pedibus proculcabat: sic faciamus nos cum dæmon suis phantasiis caput nostrum onerat. Alios torquet scrupulis; alios contra decipit per laxam et erroneam conscientiam, ut multi antea perveniant ad gehennam quam peccata sua cognoscere et deslere potuerint, ut ait cardin. Bellarm. l. II. de gemitu columbæ, cap. XII. utrumque caveamus velut Scyllam et Charibdin.

III. *Clypeus æreus tegebat humeros ejus*, inquit textus. Clypeus diaboli, quo tuetur errores et peccata in hominibus est primo, infidelitas, cum suadet non credenda, quæ dicuntur in Scripturis ad terrorem peccantium; vel saltem ad sua vitia defendenda Scripturarum sensum detorquendum, iisque hac ratione velum oppandendum et clypeum. Quo clypeo se defendere solent hæretici, verbi gratia, contra ictum abstinentiæ, objiciunt locum illum Christi: *Quod intrat per os, non coinquinat hominem*: contra carnis mortificationes, illum Pauli: *Nemo unquam carnem suam odio habuit, etc.*

Secundo, occultatio peccatorum; quo armorum genere usus erat in primis parentibus, cum ejus nimirum instinctu post peccatum nuditatem suam agnoscentes texerunt se foliis ficus et absconderunt se e facie Dei, necnon cum excusare conati sunt peccatum suum: item in Rachele quando ea sedens super idola abscondit ea, ne deprehensa a patre tollerentur: rursus in Davide, cum is adulterium suum celare aliis peccatis additis conatus est.

Tertio, defensio peccatorum. Hoc scutum porrexit Judæis, quando iniquissimum suum judicium contra Christum peractum defendere volentes clamarunt ad Pilatum: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros, q. d. si fiat ei injuria, veniat super nos.*

Quarto, præsumptio de Dei misericordia. Hoc clypeo utuntur diaboli instinctu, hæretici moderni, qui sola fide in Christum sibi blandientes vel in mediis peccatorum sordibus ut jumenta computrescunt, sed et aliis eandem pollicentur securitatem.

Hunc clypeum objiciebat illi, qui monitus ut salutem suam consuleret, dicebat nullam se hujus rei curam habere, tribus enim verbis se in mortis articulo salutem consecuturum. Factum autem ut in hiemali tempore equo insidens pontem lacerum transilire volens cadens undis obrueretur, et tum expers spei, tria verba protulit, sed quænam illa? Non quibus salutem pararet, sed gehennam: *Capiat omnia dæmon*, ait Staplet. in promp. mor.

IV. *Lorica hamata induebatur maximi ponderis.* Diaboli lorica est primo, consuetudo mala. Ut enim lorica ex innumeris ferreis ansulis conserta et contexta est, sic consuetudo ex innumeris peccatis sæpissime iteratis, undè rete quasi ferreum textitur, quo se tentum et gravatum fuisse aliquando testatur August. l. VIII. confes. c. V. cum ait: « Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus et inde mihi catenam fecerat et constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido, et dum servitur libidini facta est consuetudo, et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis, (undè catenam appellavi) tenebat me obstrictum dura servitus. » Sic ille.

Secundo, obstinatio, quæ uti lorica ferrea, impenetrabilis est. Similis animalibus illis cataphractis et loricatis quæ vulnera spernunt, et tauris Æthiopiæ cornu mobilibus, qui tergora silicis duritiæ habent, omneque vulnus respuunt, nec aliter nisi foveis capi possunt, teste Plin. l. VIII. cap. XXI.

Tertio, desperatio. Hinc lorica Goliathi fuit hamata, id est, hamis undique instructa. Talis autem est desperatio quæ ita retinet hominem ut piscem hamus unco suo recurvo, ne elabi possit. Quibus sane hamis capit non paucos dæmon, monstrans eis multitudinem peccatorum commissorum eaque exaggerans, et hoc quasi ferreo reti obruens et illaqueans. Sic venator cervum fugientem clamore et strepitu insequens, impellit in retia.

V. *Ocreas æreas habebat in cruribus.* Binæ dæmonis ocreæ, graves et æreæ, gressum retardantes sunt tristitia et aecia, quas S. Bonaventura, serm. VI. de adventu, ait binas esse diaboli catenas, quarum illa animum, hæc vero corpus ligat. His ubi ligavit hominem, facile eum vel præcipitare in desperationem potest, vel mundanis illecebris inescare. Lictor furi in pedibus tantum vincula injicere solet et tum facile eum coercescit.

VI. *Habebat gladium, eumque præstantem, cui non erat alter similis*, ut ait David, I. Reg. XVII.

Gladus autem dæmonum est perversa lingua, juxta id Psalm. LVI. *Lingua eorum gladius acutus*; quem proinde velut noxium, Deus in ore hominis quasi in vagina condidit. Talis vero est primo, lingua mendax, qua decepit et ferit Evam, quando dixit: *Nequaquam moriemini*; et ferit etiamnum plurimos hæreticorum perversis Scripturarum expositionibus, necnon cum hæreticis catholicos, venditando eis fabellas ab hæreticis confictas in odium Ecclesiæ, pro veritate, veluti de papissa Joanne, de papa Benedicto, quem magiæ horrendæ falso accusant, etc. quemadmodum olim Ariani fecerunt S. Athanasio, de quo nequiter commenti sunt, quasi vim attulerit mulieri, Arsenio manum reseculisset, frumenta intervertisset, etc. et nostro tempore sectarii cardin. Bellarmino, viro inculpatissimo, piissimoque.

Secundo, lingua blandiloqua et adulatrix, qualis multorum imprimis hæreticorum, uti olim Arii, de quo testatur D. Epiphanius, hæc. LXIX. eum tam dulcis eloquii fuisse, ut brevi multos presbyteros et episcopos, septingentas virgines sacras et omnis generis homines loquendo perverterit: et Faustus Manichæus, ejus suaviloquentia multos fuisse perversos scribit S. Augustinus, lib. V. confes. cap. III. et superiore sæculo Lutherus paterna lingua eloquentissimus. Deinde, lingua adulatorum, quorum oseula pejora sunt, quam vulnera diligentium, teste Sapiente, Prov. XXVII.

Tertio, lingua susurrans et detractoria, de qua S. Bernard. ait: *Gladius equidem anceps, imo triiceps est lingua detractoris*; quia scilicet tres vulnerat uno ictu, detrahentem, audientem et absentem cui detrahitur: cui non tantum famam rodunt, sed etiam sæpe progressum in virtute obstruunt.

VII. *Hastam gerebat maximam et ponderosam*, ejus hostile crassitie æquabat liceatorium, circa quod textores telam circumvolvunt. Hasta seu lancea diaboli sunt primo, mali homines, quorum ministerio utitur ad pervertendos alios, de talibus enim dicitur, Num. XXXIII. *Erunt vobis clavi in oculis et lanceæ in lateribus.* Hujusmodi sunt mali rectores, consilarii, socii, amici, qui mandato, consilio, hortatu, blanditiis et importunitate sua impellunt ad peccata. Sic III. Reg. XIII. prophetam bonum seduxit per prophetam malum, ut comederet contra mandatum Dei.

Deinde, lanceæ diaboli sunt, objecta sensuum delectabilia; ut species mulierum et rerum curiosarum, quibus sauciantur improvidorum oculi; cantus profanus, detrectationes, quibus aures; vinum et gulæ illecebra, quibus illaquea-

tur gustus; odores delicti, quibus odoratus; voluptas fœda, qua tactus. Denique, objecta appetitus rationalis, ut honor et divitiæ, (sed de his mox copiosius infra).

Quare dicere possumus cum S. Job, cap. XVI. *Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, et effudit in terra viscera mea, conscidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas.* Videmus proinde quam caute, et sollicitè ambulare debeamus in hoc sæculo tot laqueis referto; quotidie etiam orare: *Et ne nos inducas in tentationem.*

CONCIO II.

QUAMOBREM PLURES HOMINES DÆMONI POTIUS SERVIVANT QUAM DEO: TERRENA QUAM COELESTIA SECUTENTUR.

I. Quia virtus ardua et difficilis. — II. Quia per sensus superna obscure apprehendimus. — III. Quia cœlestia in futuro primum, terrena nunc exhibentur. — IV. Quia non credunt aliqui virtutem remunerandam.

THEMA.

Cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus et admiratæ sunt turbæ. Lucæ XI.

Præteritis dominicis proposuimus mercaturam Christi et diaboli. Et si bene attendimus, examinavimus et licitati sumus utriusque merces. Ac nisi cæci fuimus, vidimus Christi merces omni pretio majores esse, merces vero dæmonis, noxias et fallaces. Hodiernum evangelium experimentum nobis præbet hujus veritatis, dum obsessus a dæmonio fit mutus, surdus, cæcus. A Christo dum liberatur, restituitur loquelæ, audit, videt. Videmus ergo quam vere dixerit Dominus, Joan. X. *Fur non venit, nisi ut furetur et mactet et perdat: ego veni ut vitam habeant.* Videmus furem dæmonem non nisi furari et mactare: videmus contra Christum non nisi vitam et salutem dare. Sed quid est, auditores, quod hoc non obstante, major hominum pars ad diabolum currat, ejus merces emat, ei toto pectore serviat; Christum vero relinquat? Quid hoc aliud est, quam sequi carnificem, et fugere Salvatorem? Currere ad infernum, et fugere a cælo? Hic hæreo; hic stupeo. Sed quo errorem deprehendamus, investigemus hujus rei causas.

I. Quia pretium bonorum cœlestium virtus est, ardua non nihil et paratu difficilis; ex quo nimirum homo ab originali rectitudine lapsus curvus et obliquus factus est, id est, propensus ad creata et caducæ bona, pronus ad malum, et

aversus a bonis æternis ac virtutibus. Hinc ad cælum et cœlestia bona via montosa et acclivis, ad terram vero et terrena via plana et declivis facta est. Illa asperitatem, hæc voluptatem propinat : illa una, hæc multiplex : illa paucis, hæc multis trita est vestigiis. Ergo quanto facilior est descensus quam ascensus, quanto facilius aberrare a scopo quam tangere eundem, quanto facilius via trita, quam invia; tanto facilius est via quæ ad terrena bona paranda, quam quæ ad cœlestia ducit. Hinc boni efficiuntur tarde et non nisi cum labore, mali vero citissime et sine labore, quemadmodum lapis uno momento plus cadit deorsum, quam per mediam horam trahatur sursum. Age familiariter cum homine vitioso, et brevi vitia ejus indues; age cum viro sancto, non idcirco repente sanctus eris. *Parum absinthii*, ait Nazianzenus, *amaritudinem suam melli celerrime impertit; cum contra mel ne dupla quidem parte copiosius dulcedinem suam absinthio infundat. Parvo lapide summo, flumen totum in prorum trahitur; ejusdem autem impetus firmissimo etiam aggere cohiberi via potest.* Tange picem aut sordes, illico inquinaberis : tange saponem vel lixivium, non statim vice versa mundaberis, nisi adhibita fricatione et sedula tersione. Refert Ælianus, lib. XIII. hist. Theodatam meretricem Socrati insultasse dicentem : *Ego te multum antecello, nam tu cum neminem ex meis a me possis abalienare; ego, cum libitum est, tuos omnes ad me voco.* Cui Socrates : *Non mirum est hoc; tu siquidem ad declivem tramitem omnes rapis : ego ad virtutem cogo, ad quam arduus et plerisque insolitus est ascensus.* Cæterum initio tantum via virtutis arcta est et aspera, paulatim dilatatur et fit suavior; nihilominus hæc potissima est causa cur plures servire malint dæmoni, quam Deo, vitiis operam dare, quam virtutibus : quia virtus et obsequium Dei incipit ab asperitate et cruce, adeoque necesse est carnem crucifigere cum concupiscentiis suis. Hæc amara et absinthiaca potio nauseam parit hominibus naturaliter ægris, et causa est sæpenumero ut malint ægrotare et in peccatis suis mori, quam eo modo curari. Acquiescerem, si homo non homo, sed brutum foret, aut mente captus, qui solo duceretur sensu; sed cum ratione præditus sit, satis superque intelligit, virtutem etsi amaram, perutilem tamen ac salutarem imo necessariam esse homini propriumque ejus bonum, per se appetendum, stabile et solidum. Sic aurum maximo labore, periculo et impensa in cavernis terræ foditur, quia pretiosum. Pulchra res, dentes elephantis eburnei; sed enim tardi ei nascuntur, Pier. I. II. hierol. Si bruta, infantes et mente

capti amaras respuant, dum ægrotant, potiones, nil mirum; quia earum utilitatem non percipiunt, sed hominem intelligentem nolle curari, insanum est. Deinde, etiam intelligit, eum qui hanc viam præscripsit, vires etiam præbere ad eandem superandam; quo modo prudens medicus attemperat potionem, ut commode sumi possit : *Juste instat præcepto*, ait S. Leo, serm. XVI. de passione Domini, *quia præcurrit auxilio.*

II. Quia mens humana cum inter naturas rationales sit infima, carni proinde inserta et sensibus addicta, nihil perfecte apprehendit præter sensibilia et temporalia, ut honores, divitias, voluptates, spiritualia vero non nisi confuse et obscure, uti pulchritudinem virtutum et cœlestium honorum præstantiam. Hinc quia illa fortiter, hæc vero tenuiter apprehendit, fit ut ab illis valide, ab his vero moveatur languide; siquidem affectus sequitur apprehensionem. Ergo gustata aliqua suavitate boni terreni, fingit eam multo majorem, quam revera sit. Similiter gustata nonnihil virtutis amaritudine, difficultate aut molestia, fingit eam longe majorem et resilit ab illa.

At vero licet ita res se habeat, cogitandum nobis est primo, nos adultos et viros esse, non parvulos : parvuli tantum sensibus ducuntur et res viles uti pupas et oves, ac boves ligneos magni æstimant; quia omnia metiuntur aspectu, gustu, sensu. Viri res altius pensant, et multa quæ sensibus non subjacent, præstantiora esse sensibilibus intelligunt, nec facile cum his commutant : parvuli solent lacerare libros præstantissimos, quos viri docti magno compararent pretio : abjiciunt gemmas nobilissimas, in quibus mira virtus latet, quas vir aliquis intelligens nullo auro venderet. Tales pueri sunt sensuales homines, qui quæ sunt vilissima, ea videlicet quæ sensibus percipiuntur, maximi æstimant, et quæ magni æstimanda sunt, contemnunt. Cujusmodi pueros vetat nos esse apostolus, I. Corinth. XIV. dicens : *Nolite pueri effici sensibus.* « Pueri, (inquit Chrysostomus, hom. LXXX. in Joan.) magna non desiderant, vilia solent admirari, currus, equos, aurigas, rotas luto factas; hoc aspectu delectantur. Quod si regem in curru aureo sedentem et mulos albos junctos et eximium cultum viderint ne respiciunt quidem. Præterea puellas ex cera ornant, veras autem puellas nesciunt, et in multis aliis rebus itidem afficiuntur. Tales nonnulli nunc reperiuntur : nulla his cœlestium cura, sed ad lutea tamquam pueri obstupescunt et terrenis divitiis blandiuntur et gloriam et voluptates hujus sæculi magni pendunt, quæ ita puerilia sunt ut illa, quæ vero

et vitæ et gloriæ et requiei causa sunt, non curant; sed ut pueri, his privati deflent, illa autem ne desiderare quidem norunt. Ita et multi in ætate provecta pecunias concupiscunt, non divitias permanentes : sed pueriles ludos, etc. » Deinde, non reperiendos sub evangelio tales pueros prædictum Isai. LXV. *Ecce ego creo celos novos et terram*, id est, regnum Christi novum in Ecclesia. Et quale illud : *Non erit tibi amplius infans dierum et senex qui non impleat dies suos, quoniam puer centum annorum morietur*, id est, si quis senex esset, qui moribus esset puerilibus, essetque puer centum annorum, seu ætatem haberet centum annorum, sensibus vero et vitiosa vita esset puer, is non perseverabit in Ecclesia, ut ex militante eat ad triumphantem, sed ejicietur de Ecclesia in tenebras exteriores, ut optime exponit Corn. a Lapide, ex Hieronym. et aliis ibi. Ejusmodi pueri erant Ægyptii, qui divinum aliquid inesse putabant ovibus et bobus; unde Apin bovis forma pro deo colebant, aliaque plura animalia, et idcirco abominabantur pastores ovium quod oves jugularent, quas colebant ipsi, Gen. XLVI. Hos ergo redarguens Moyses dicebat Pharaoni : *Abominationes Ægyptiorum imolabimus Domino Deo nostro* : (hoc est, boves, quæ ipsi pro diis colunt, ideoque mactatores eorum summa abominantur) *quod si mactaverimus ea, quæ colunt Ægyptii, coram eis lapidibus nos obruent*, Exod. VIII. Itaque Judæi viri erant, scientes nihil inesse ovibus et bobus cultu et admiratione dignum, ideoque eas mactabant; quamvis postea in deserto una cum Ægyptiis pueri et ipsi facti sint, quando ad eorum imitationem fecerunt et coluerunt vitulum. Quod si ante evangelium fuerunt homines, non viri, sed pueri ejusmodi : nunc tamen viri esse debent, ita ut quæ mundus puerilis magni æstimat, sensibilia videlicet et corruptibilia bona, ipsi magno animo spernant, mactent et occidant : contra quæ ille horret et aversatur, fidem, justitiam, pietatem, pœnitentiam, mortificationem carnis et cupiditatum colant et Deo sacrificent. Audi S. Gregorium, libr. X. moral. cap. XXIII. « Quid hic, inquit, peccator totis cogitationibus sperat, nisi ut potestate cæteros transeat, cunctos rerum multiplicitate transcendat, adversantes dominando subjiciat, obsequentibus mirandus innotescat, iræ ad votum satisfaciatur, benignum se, cum laudatur, ostendat, quidquid gula appetit, offerat? Bene ergo, spes illorum abominatio dicitur, quia ea, quæ carnales ambiunt, spirituales quique judicio rectitudinis aversantur, et quod illi voluptatem æstimant, in pœnam puniunt : quia ut caro mollibus, sic anima duris

nutritur, et sicut carnem dura sauciant, sic spiritum mollia necant. Spes itaque carnalium abominatio animæ dicitur, quia inde in perpetuum spiritus interit unde ad tempus caro suaviter vivit. » Sic ille.

Secundo, cogitanda nobis sunt exempla Christi et sanctorum, qui tamquam perfecti et intelligentissimi viri rem hanc optime intellexerunt; et nugis illis fluxis et luteis contemptis, sectati sunt solida et spiritualia bona, sectanturque in hodiernum. Unde omni tempore excitavit Deus viros religiosos severæ disciplinæ, abstinentiæ, paupertatis : modo eremicolas, modo Benedictinos, modo Franciscanos, modo Carthusianos, et nostro sæculo Capuccinos. Ad hæc ut erga bona cœlestia magis afficeremur, comparavit ea Christus in suis concionibus rebus sensibilibus, quibus maxime afficimur, veluti convivio, regno, thesauro, margaritæ, etc. *Quatenus exemplo visibilium*, inquit Sanctus Greg. hom. XI. in evangelia, *se ad invisibilia rapiat (animus) et per ea quæ usu didicit quasi confricatus incalescat; ut per hoc, quod scit notum diligere, discat et incognita amare.*

III. Quia bona hujus mundi in præsentibus exhibentur, bona vero cœlestia in futuro primum sæculo sperantur. Ob hanc causam populus Israeliticus arguitur Ose. capit. X. cum dicitur : *Ephraim vitula docta diligere trituram*, quia videlicet, ut Vatablus exponit, mavult triturare, quam arare. Dum enim triturat, præsentem habet laboris mercedem et capere subinde fruges, quas terit, potest, semper ante os positas, juxta id Deuteron. XXV. *Non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas* : at vero dum arat, non item, sed expectare debet fruges, diu post metendas : *Debet enim in spe, qui arat, arare*, ait apostolus, I. Corinth. IX. Ita homines mundani triturare potius quam arare volunt, mundo quam Deo servire. Talis erat Balaam, qui optabat quidem mori morte justorum, sed nolebat vivere vita justorum, quia occasione præsentis auri, quod legati regis Balac in manibus habebant, eique pro mercede iniquæ divinationis offerebant, seductus fuit et posuit scandalum populo Dei, contra expressum Dei præceptum : *Perrexerunt seniores*, ait textus, Numer. c. XXI. *habentes divinationis pretium in manibus*, Hebraice, *divinationes*, quasi pretium ipsum fuerit incantatio ipsius Balaami, uti revera fuit. Eo enim victus et quodammodo incantatus fecit, quod facturum se abjuravit, dicens : *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei.* Hoc ergo potentissimo incantationis genere incantantur plerique homines, ut temporalia sectentur et vitia : quia